

p. 278. Quid si dicat: gladium non esse suum: vel sibi vi quadam ere-
ptum, & postea in illum locum fuisse projectum; quid si occisus fuerit
aggressor, vel occidens furiosus? Quid si aliunde quam ex hominis oc-
cisione gladius sanguine maculatus sit, scil. ex interfectione alterius
animalis: vel sanguinem, quò ensis maculatus est, non esse de recenti,
sed antiquum; Farinac. lib. 1. tit. 5. n. 58. p. 795. Hisce argumentis in-
structus reus contra indicium audiendus & de illis cognoscendum est,
priusquam ad torturam procedatur. Metzger. d. l. Ratio est, quia in-
dicia istæ desumpta sunt ab illis, quæ communiter accidunt, à quibus
equidem præsumtio veritatis desumitur, si nimirum frequenter & ut-
plurimum talia adesse contingant, & rarò abesse. Eberhard. in Topic.
legalib. Loc. 102. à *Communitis Accidentib. n. 10 pag. 626.* nihilominus ta-
men probatio contraria locum invenit, quoniam una præsumtio poterit
tollete aliam. Hucusque explicatio textus.

Hisce à quibusdam aliud additur indicium; nempe, si præsentis occi-
sore, interfectus emittat sanguinem è naribus, ore, vel, aliis apertis corporis
partibus: Illud enim putant sufficiens esse indicium ad captivandum &
torquendum reum. Et scribit Nicolaus Florentin. *serm. 5. tract. 1. c. 6* apud
Gomezium lib. 3. c. 13. n. 15. *Var. resolut. p. 574.* quod suo tempore in præ-
sentia occisoris interfectus sanguinem emisit, ex quo iste fuit captus,
torturæ subjectus, qui quoque delictum confessus, & damnatus est. Ali-
quot exempla refert Farinac. l. 1. tit. 5. qu. 52. n. 154. fol. 804. *Oper. Criminal.*
Menoch. l. 1. qu. 89. n. 28. p. 117. *de Præsumt.* Besoldus quoque in *Thes.*
Præctico voce Baarrecht pag. 83. & 84. varia & notatu digna adducit
exempla. Et hinc natum est illud decantatum *das Baarrecht* quod
describitur à Speidelio in *Notabilibus* pag. 97. Cum quis occisus reperitur,
nec certò constat, à quonam homicidium sit perpetratum, personæ au-
tem quædam ex variis indiciis de delicto suspectæ sint, tum eæ ad cada-
ver eò fine adduci solent, ut si reæ fuerint, illud effundat sanguinem:
si verò innocentes fuerint, sanguis in corpore maneat. Experientia si-
quidem testatur, multoties cadaverà occisorum in præsentia occisoris
emisisse cruorem, & sic miraculosò quodam modò, & per divinum judi-
cium delinquentes in pœnam promeritam raptos esse; Unde & hodiè
quibusdam in locis modus iste per vestigandi homicidas adhibetur, & pro-
pterea *Baarrecht* vocatur, quoniam suspectus ad feretrum. *Su der Baarrecht*
ubi occisus jacet, adducitur, & factæ suspicionis ac delicti seriò admo-
netur. Ubi etiam è Ludovico de Sesse *Dreis. Arragon. III.* valde notabilem
actu

actu